



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari  
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

**Melanchthon, Philipp**

**Viteberga, 1542**

**VD16 C 4714**

XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35748**

## PRÆCIPVI.

cent, quod sine spiritu sancto, solis naturæ uiribus possumus Deum super omnia diligere, legem Dei facere, quo ad substantiam actuum. Hæc somnia ingenue & necessario reprehendimus, obscurant enim beneficia Christi, Nam ideo proponitur in Euangelio mediator Christus, & promittitur misericordia, quia humana natura non potest satisfacere legi, sicut Paulus testatur, cum ait Rom. 8. Sensus carnis inimicia est aduersus Deum. Legi enim Dei non est subditus, ac ne potest quidē subiici. Quanquam enim externa opera aliquo modo potest efficere humana natura per se, potest enim continere manus a furto, a cede, tamen interiores motus, ut uerum timorem, ueram fiduciam, patientiam, castitatem, non potest efficere, nisi spiritus sanctus gubernet & adiuuet corda nostra. Et tamen in hoc loco illud etiam docemus, Dei mandatum esse, ut etiam carnales cohercentur diligentia rationis & illa ciuili disciplina, sicut Paulus inquit, Lex est paedagogus in Christum. Item, Lex est iniustis posita.

## XIX.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est

## ARTICVLI FIDEI

est uoluntas malorum, uidelicet diaboli & impiorum hominum, quæ auertit se a Deo, ad alias res contra mandata Dei. Ideo Christus inquit de Diabolo, Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.

XX.

Quod aduersarij criminantur nos, negligi a nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est. Extant enim libri nostrorum, in quibus pice & utiliter docent de bonis operibus, quæ opera in qualibet uocatione Deo placeant, Cumq; in Ecclesijs magnum olim fuerit silentium de preciis operibus, scilicet de exercitijs fidei, & de laude politicorum operum, et magna ex parte consumserentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in ferijs, Ieiunijs, Monachatu fraternitatibus, peregrinationibus, cultu sanctorum, Rosarijs & alijs inutilibus cultibus ornandis, nunc Dei beneficio reuocatur Ecclesia ad ueros, & utiles cultus, quos Deus probat & requirit. Prophetæ grauissimis concionibus deplorant hanc Ecclesiæ calamitatem, q; ueris cultibus extinctis, in Ecclesia regnaturæ sint humanæ ceremoniæ & impia fiducia ceremoniarum. Et ab hoc errore reuocant